



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Het Paradys Der Gheestelijcke En Kerckelycke
Lof-Sangen, Op de principaelste Feest-daghen des
gheheelen Jaers**

Afhakker, Aegidius

T'Shertogenbosch, 1627

Psalmvs 4.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55083)

faciem frigoris ejus quis sustinebit ?

Emittet verbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annunciat verbum suum Jacob: justitias & judicia sua Israel.

Non fecit taliter omni nationi: & judicia sua non manifestavit eis.

Gloria Patri, & Filio.

AD COMPLETORIVM.

Converte nos Deus salutaris noster. *Resp.* Et cave iram tuam à nobis.

Vers. Deus in adjutorium meum intende.

Resp. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio.

PSALMVS 4.

Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ: in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei: & exaudi orationem meam.

Filij hominum usquequò gravi corde: ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum: Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Irafcimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in

Domino : multi dicunt, Quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui Domine : dedisti lætitiã in corde meo.

A fructu frumenti, vini, & olei sui: multiplicati sunt.

In pace in idipsum : dormiam, & requiescam.

Quoniam tu Domine singulariter in spe: constituisti me.

Gloria Patri, & Filio.

PSALMVS 70.

IN te Domine speravi, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me

Inclina ad me aurem tuam: accelera ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij: ut salvum me facias.

Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis.

Gloria Patri, & Filio.